

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

LN 1571
M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

EXPLICATIO ET ANIMADVERSIO in L. lecta, de reb. cred.

AVTORE

IACOBO TETENS

Eideroſtadenſi Holſato.

REGIOMONTI

in Officina Georgij Oſterbergeri, Anno

M. D. LXXXVII.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO PHILIPPO HÆREDI

Norvegiæ, Duci Slesuici, Holsatiæ, Stormariæ, & Dithmarsiæ, Comit: Oldenburgæ, & Delmenhorsti &c. Domino suo clementissimo.

SI quid est, Princeps Illustriss. ac Domine clementiss. quod hominem homini conciliare possit, uirtus me hercule & doctrina est. Enimuero qui honestatis officijs delectantur, ijsq; solis student, intuentes præclarum aliquod uirtutum exemplar (quod, etsi difficulter, liceat tamen imitando exprimere) quasi philtro quodam pellecti τοὺς φιλοκάλους ob elucentem egregiam ex illis Honesti faciem amore prosequuntur. Atq; inde laudabilis eorum conatus ceu calcaribus quibusdam concitatus fertur, incredibiliterq; adiuvatur & promouetur. Nam & aliàs:

Acer & ad palmæ per se cursurus honores,
Si tamen horteris fortius ibit equus.

Qui uero contrarijs studijs detinentur, etsi eo prorsus, quo illi erga recti cultores non sint affecti animo, quin potius scelus aliquod anhelent, idem tamen in alijs, sui similibus (ferè dixerim) grauissimè ferunt, ideoq; recurrente

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

ſubinde à malitia ad humanitatem animo, honeſtarum actionum ſtudioſos colunt quodammodo, & obſeruant, quò uel ſaltem τῶις μισοκάλοις, ſui immemores noceant, uel etiam turpitudinis conſcientia territi, pœnitentiaq; ducti frugi homines euadant. Sunt enim & hi aliquo in diſcrimine. Nonnullos namq; uideas ad bonam mentem nunquam redire, poſtquam altiſſimas iam improbitas in ipſorum animis radices egit, medullisq; intimis inhæret, & articulis omnibus ὡς ἀρθρῖτις ineſt: quos tanquam perditos non immerito deplores. Nonnullos etiam animaduertas, quorum etſi animus uitiorum quædam eſt poſſeſſio, fluctuare tamen ambigereq; utrum Honeſti aliquando iter ſint ingreſſuri: quos demum ex euentu laudes uel uituperes. Ego itaq; ab ineunte ætate cum mea, tum parentum ac amicorum uoluntate optimis diſciplinis & artibus addictus, non poſſum non ſummè eos amare, qui optima quæq; ſunt ſecuti, magis ſi aſſecuti, in quibus uirtutis bonarumq; rerum quædam eſt ſignificatio, magis ſi ipſa uirtus, ipſa ſapientia: Quin ideo aliquod meæ erga illos obſeruantiæ exhibere documentum, ad eaq; ſtudia, quibus hactenus incumbo, ſtudia pietatis ac honeſtatis magis magisq; inflammarique. De tua uero Illuſtriſs. Celſitudine conſentientibus uocibus omnes narrant eiusmodi, quæ principem in Repub. uirum maximè decent, mirumq;

in modum

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

in modum exornant. Nam cum duo ſint tempora, ut præclarè Ariſtoteles in politicis ait, ocij & negocij, pacis & belli, tuam Illuſtriſs. C. artibus, quibus utrumq; tempus rectè gubernatur, inſtructam eſſe ferunt: Per ætatem quidem iuuenilem, primamq; inſtitutionem mediocriter, per ætatem autẽ uirilem, accedente longo rerũ uſu, ut ſperant, excellenter & eximiè. Quamobrem Illuſtriſs: C. T. omnes boni amant, Sed quo magis Illuſtriſs. C. T. in illis artibus proficiet, amabunt magis. Ego quoq; tanquam Illuſtriſs. ac optimi parentis, de tota mea patria, ac inprimis de me optimè meriti Illuſtriſs. filium te quidem iamdudum amo: Nunc primum longè tamen aliter: Nempe tanquam Illuſtriſs. optimiq; parentis, Illuſtriſs. optimumq; filium. At per Dei gratiam augeſcente uirtutum tuarum laude, multo magis. Non igitur committere poſſum, ut uel in Illuſtriſs. tuum parentem, Dominum meum clementiſſimum, beatæ ac æternæ memoriæ principem, qui maximis beneficijs me affecit, ingratus eſſe, uel uirtutum tuarum laudes non comprobare uidear. Eapropter confeci breuem quandam L. lecta, de reb. cred. explicationem & animaduerſionem, quam Illuſtriſs. C. T. dedico atq; conſecro, grati mei animi, meæq; ſingularis erga Illuſtriſs. C. T. reuerentiæ argumentum. Sed quod reſtat, hanc meam opellam Illuſtriſsima C. T. huius L. difficultate (ut quam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

plurimi lectam quidem esse, at non intellectam asserunt) meiq; ingenij uiribus, quas sentio perquam esse exiguas, ut munusculi rationem obtinere possit, æstimet, non autem cum istis, quæ benefice imò magnifice Illustriss. tuus parens, Dominus meus clementissimus in me contulit, neue cum Illustriss. C. T. amplitudine ac splendore, ne protinus euanescat, nihilq; esse reputetur, conferat, seu ut paucis, quod uolo, complectar, hoc quicquid est, eo, quo offertur animo, pro innata Illustriss. C. T. clementia clementer ac sereno uultu suscipiat, me meaq; studia promoueat, humilimè & submisse peto. Deum infinitum, omnipotentem, optimum, qui est omnia, Illustriss. C. T. propitium opto. Regiomonte Borussiæ 5. Id. Nouemb. Anno 1587.

Illustriss. C. T.

Subditus

Iacobus Tetens Eiderostadensis.

EXPLI-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

EXPLICATIO ET ANIMADVERSIO

in L. lecta ff de reb. cred.

QVanta vis sit τῆς ἀναλύσεως ad rerum difficilium cognitionem adipiscendam, intellectumq; obscuriorum locorum in bonis quibusq; autoribus sæpe obviorum eruendum, res ipsa loquitur. Cum enim totum confusum quid sit, συγκεχυμένον μᾶλλον, ut loquitur Aristot: 1. cap. 1. lib. ἀκροάσεως, Confusi autem plana facilisq; cognitio non sit, neq; totius, nisi in membra distributi, cognitione comprehendendi expedita via est. Quamobrem huius L. obscuræ & perdifficilis tot præclarissimorum antecessorum perpetuo consensu habitæ, constituendæ sunt partes. Sunt autem tres. Prima ipsam facti speciem continet. Secunda quæstionem iuris. Tertia ad propositam quæstionem Iurisconsulti Pauli responsum.

De prima parte.

FActi species quadruplex est. 1. enim naturam mutui complectitur, id est, personas contrahentes, & materiam in qua mutuum consistit. 2. Stipulationem de soluenda sorte. 3. Stipulationem de præstandis vsuris. 4. Pactum de diuidenda sorte. Verba legis sunt hæc, quę breuiter explicabo: *Lecta est in auditorio*, .i. in loco ubi causæ audiuntur L. contra § is qui, de re Iud. *Aemilij Papiniani, præfecti prætorio, Iurisc̃sulti, cautio*

.i. chiro-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

.i.chirographum *huiusmòdi*: *Lucius Titius scripsi me accepisse à publio Mœuio quindecim* sc: millia denariorum, oratio enim est concisa. Quod autem denarios subintelligi oporteat, mentio denariorum statim facta suadet. *mutua*, quæ vox adñcitur, ut appareat ex qua crediti causa quindecim illa debeantur. Est enim crediti appellatiõ generalis, & differt creditũ à mutuo ut genus à specie Paul. in l 2. h tt. *numerata mihi de domo*, id est, ex arca, non ex mensæ scriptura ab argentarñs. Fuit enim duplex olim credendæ pecuniæ ratio. Hactenus propositus est in cautione contractus mutui, sequitur nunc stipulatio de solutione sortis: *Et hæc quindecim proba* ne pecunia credita in moneta adulterina redderetur. Nam probi nummi adulterinis ac reprobis opponuntur. At non tantum sibi cavit ut proba redderentur, sed præterea adiecit *rectè*, ne forte minus solveretur, puta loco, vel re &c. atq; inde damnum aliquod creditor sentire posset. Quo autem loco res creditæ reddendæ sint, docet L. vinum h.tt. Sed mirari hic liceat, quorsum hæc: *proba, rectè*. Videntur enim ociosa. Nam neq; aliâs deterius est reddendum, quam fuit datum L. 3. h: tt. Sed eiusdem bonitatis, naturæ & qualitatis § 1. Inst: qb. mod. re cont. obl. Non enim debet alicui officium suum esse damnosum, neq; alio loco potest solvi, quam eo, de quo convenit, adeo ut qui alio loco solvat, minus solvere videatur, quemadmodum qui alio loco petit, plus petere videtur § Si quis agens, Inst. de act. Hæc, inquam, omnia cum ex natura contractus præstanda sint, nihil operari videtur eorum in stipulatione facta mentio. Neq; est si dicas, illa verba explica-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

explicationis tantum gratia adiecta esse. Quia explicatio ista eodem argumento supervacanea esse evincitur. Quanquam autem illa ociosa sunt: Sciendum tamẽ est, non ideo stipulationem reddi inutilem aut viciari, cum aliâs quoq; supervacanea non vicient actum, neq; utile per inutile tollatur. Hæc nanq; est humanæ naturæ sollicita affectio, ut etsi provisione legis tuti sint homines, magis tamen tutos se esse cupiant, ideoq; ociosam suam prouisionem, illi, quam lex præbet sæpenumero addant. *dari calendis futuris, stipulatus est Mœuius Publius, spopondi ego Lutius Titius.* Hoc loco commodum quæri potest, cur stipulatio de soluenda sorte contractui mutui sit adiecta, cum nihilominus creditor potuisset petere calendis proximis? Etsi vero creditor non debeat statim cum sacco venire L. quod dicimus 105. de solut: alioquin enim beneficium debitori non esset præstitum, quæ tamen finalis est causa mutui, sed potius quædam exhibita molestia: Statim tamen competit illi condictio certi ex mutuo, postquam modicè debitor pecunia accepta frui potuit. Quod si statim, etiam, si ita videtur, ipsis calendis. Sed tenendum est, veteres pecuniam mutuo datam sibi reddi stipulatos esse, ut competeret ex stipulatione certi condictio, non ex mutuo. Quod verum esse videtur, si incontinenti apponeretur stipulatio: Si autem ex interuallo, non item. Talis enim obligatio non transfert obligationem semel natam, nisi expressè appareat de animo novare volentium L. Si ita fuero §. ult. & L. seq. ff. de novat. L. ult: C. eod. tt. Oldendorp. class. 4. act: 17. Cur autem maluerint condictionem certi ex stipulatione, quã mutuo, hæc ratio esse videtur. Cum enim usuras mutuum non reciperet, vt quod esset gratuitum, ideo ne-

cessum

ceſſum erat, ſi creditor vellet uſuras accipere, ut illas ſibi dari ſtipularetur. Ecce condictio certi ex mutuo ad ſortem petendam, ex ſtipulatione verò ad uſuras adipiſcendas erat comparata. Quare cum melius eſſet, ita ferente natura actionum, vna actione propoſita conſequi, quod aliâs non niſi duabus fieri liceret, in continenti ſtipulationem adñcere ſolebant, ut ſortem & uſuras ſimul, condictione certi ex ſtipulatione conſequerentur. Transferebatur enim quodammodo (Nam re vera tot ſunt ſtipulationes quot ſunt res, L. ſcire debemus 29 in pr: de verb. obl.) ſortis obligatio quæ erat ex mutuo intercedente ſtipulatione, in uſurarum obligationem. Neqꝫ huic obſtat, quod hic peculiaris de ſolutione ſortis ſtipulatio ſit concepta, & viciſsim peculiaris de uſuris. Cum enim uſurarum ſtipulatio acceſſoria ſit, ſortis autem principalis, atqꝫ ſequi congruat acceſſorium naturam ſui principalis C. acceſſorium, de Reg. iu: in 6. unica quodammodo videtur eſſe ſtipulatio, ideoqꝫ unica actione & ſortem & uſuras conſequi poterant. Hæc tamen aliter ab interpretibus diſputantur per textus nihil ad rem pertinentes.

Sequitur uſurarum ſtipulatio cautionis propoſitæ pars tertia: *Si die* calendis proximis *ſupra ſcripta ſumma* quindecim millia denariorum *Publio Mœuio, eiue, ad quem res iſta pertinebit.* Hæc cautionis verba ociòſa videri poſſunt, vt & illa *proba, rectè.* Nam nulla etiam tali mentione facta, illi, ad quem res pertinuiſſet, ſoluendum fuiſſet æquè atqꝫ Publio Mœvio. Sed, vt ſup, *data, ſoluta, ſatisue eo nomine non erit.* Soluitur, cum datur quod præſtandum eſt L. 45 ſolutionis, de re iud: Satisfacit etiam, qui etſi quod dandum eſt, nòn dat, pignus

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

gnus tamen vel expromissorem aut fideiussorem præbet L. item liberatur 6 § 1 quib. mod. pig: vel hyp. sol: Non tamen hic sequitur, Lucium Titium invito Mœvio potuisse fideiussorem dare neq; cogi potuisse, ut mutuo acceptam summam redderet. Nam hoc procedit (de quo non est dubium) si id creditor admittat. Et quidem illud ipsum vox satisfactionis vult. Est enim satisfacere alicui, idem quod, alicui implere desideriũ, L. 1, ff qui satisd: cog: Quod si creditor nolit fideiussores, aut pignora accipere, sed ipsam sortem sibi dari desideret, datis pignoribus aut fideiussoribus non satisfit. Quia ita eius desiderium non impletur. Hinc neque aliud pro alio solui potest L. 5 § 1. h. tt. Est enim mutuum stricti iuris, non bonæ fidei contractus L. aut si mutua 6, h. tt. Sed idem in genere debet reddi § 1. Inst. quib. mod: re cont: obl. Neq; obstat L. vinum, h tt. Non enim dicit quod æstimatione contentus esse cogatur creditor, sed quod æstimatio locum habere possit. Neq; sequitur, æstimatio potest locum habere, Ergo inuito creditore, potest autem tunc, quando illam vult admittere. Tunc autem velle videtur, quando contra eam nihil opponit, neq; oblatam repudiat. At vero in d. L. vinum, oblatam æstimationem non repudiauit, nihil contra eam opposuit. Quare quod æstimatio ibi dicitur locum habere posse, intelligendum est, creditore non inuito, sed volente. Neq; ad rem pertinet, si quis excipiat, in d. L. vinum, non expressùm esse quod contra æstimationem nihil opposuerit. Nam neq; expressum est quod aliquid opposuerit. Videndum igitur vtrum debeamus præsumerẽ, opposuerit aliquid, nec ne. Quoniam verò quæ facti sunt, nõ præsumantur, sed probentur L. asseueratio C. de non num: pec. L. sive C. de probat. Wes-

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

bat. Wesenb. in parat. nu. 12. h. tt. At exceptiones & oppositiones sunt facti. Quare cum illas non præsumamus, cõsequens est, vt dicamus contra æstimationẽ nihil in d. L. vinum, oppositum esse, præsumi oportere, ideoq; illi locum fuisse. Non tamen repugno, si nulla captio sit creditoris, & ubi evidens ratio æquitatis suadeat, quin secundum quorundam sententiam in d. L. vinum, creditor ad recipiendum aliud, quam, quod dedit, compelli possit. *tunc eo amplius, quo post soluam, pœnæ nomine*, usuræ enim non propter lucrum petentium, sed propter moram non solventiũ infliguntur, vt inquit Paul. in L. cum quidam 17. § si pupillo ff de usur. Et quidem in bonæ fidei iudicijs à tempore moræ veniunt L. mora 32. § 1. L. 3. in pr. h. tt. In stricti vero iuris actionibus à tempore litis contestatæ duntaxat omnes accessiones debentur L. 3. § in his quidẽ, L. lite 15. h. tt. L. cum fundus 31. in pr: h. tt. nisi stipulatio de illis interponatur, ut hic. *in dies triginta, inq; denarios centenos, denarios singulos.* Est igitur hæc usura centesima, ita dicta, vel quia centesima pars sortis sit menstrua usura, vel quod centesimo mense æquet sortem, illam rationem nominis Dominus Ioan. Borch. in tract. de pact: c. ult. nu. 53. probat, hanc improbat, etsi utraq; æquè conveniens esse videri possit. *dari stipulatus est Publius Mœuius, spopondi ego Lucius Titius.* En habes nunc tria membra chirographi, sequitur nunc quartum & ultimum, pactũ sc: divisæ sortis. *conuenitq; inter nos, uti pro Mœuio*, vulgata lectio habet, vt P. Mœvio, quam lectionem probat Cuiac. *ex sũma supra scripta menstruos refunderẽ* reddere, solvere, *debeã denarios trecenos ex omni summa ei, hereduue eius.* Absoluta est prima pars legis.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

De ſecunda parte.

QVæſtio talis eſt: An termino ſolutioni præſtituto & debitore non obſervato, ſingularum tantum penſionum, & quidem ex pacto, primæ ſc: primo menſe, ſecundæ, ſecundo &c. an vero totius ſortis, & quidem ex ſtipulatione, uſuræ debeantur? Verba Legis ſunt: *Quæſitum eſt de obligatione uſurarum, quoniam numerus menſium, qui ſolutioni competebat, tranſierat.* Cum autem omnis quæſtio, quatenus eſt quæſtio, dubia ſit, ratio dubitandi ſubſit huic quæſtioni neceſſum eſt, aliâs enim eſſet abſurda, qualis eſt in L. Domitius 37. qui teſtam. fac. poſ. ſed illa in ſeq. parte elucebit.

De tertia parte.

REſponſum Pauli, quod hic tanquam verum propo-nitur, complectitur aliud quoq; aliorum quorundam ad eandem quæſtionem, quod quia cõtrarium eſt, tanquam falſum hic reiicitur, etſi alibi ut in L. iuris gentium § quinimo, cum ſeqq. de pact. approbetur. Quare ſigillatim utriusq; rationes conſiderare operæ erit precium. Reſpondet autem Paulus non totius ſortis uſuras, ſed trecenorum denariorum tantum deberi. Aſſertionem ſuam primum hoc modo probat: Pacta in continenti facta ſtipulationi inſunt. At pactum de refundendis menſtruis trecenis in continenti, ſtipulationi fuit adiectum. Ergo & ſtipulationi ineſt, & per conſequens actionem format, efficitq; ut perinde ſit, ac ſi nominatim in pacto expreſſum fuiſſet, uti primo menſe, primæ penſionis uſuræ currerent, & ſic deinceps. Maiorẽ probat ab autoritate, ſeu cõmuni opinione in verb.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

quamuis ſententia diuerſa. Verba legis ſunt: *Dicebam quia pacta in continenti facta ſtipulationi ineſſe creduntur, perinde eſſe, ac ſi per ſingulos menſes certam pecuniam ſtipulatus, quoad tardius ſoluta eſſet, uſuras adiecisſet: igitur, finito primo menſe, primæ penſionis uſuras currere: & ſimiliter poſt ſecundum & tertium tractum uſuras non ſolutæ pecuniæ penſionis creſcere.* Deinde ſententiam ſuam probat hoc modo: ubi tota ſors peti non poteſt, ibi nec totius ſortis uſuræ peti poſſunt, At vero tota ſors peti non poteſt, Ergo totius ſortis uſuræ peti non poſſunt. Minorem probat, quia ſortis petitio per pactum ſit dilata, in verb. Sed *cum ſortis petitio*, Verba Legis ſunt in quibus hoc argumentum latet: *nec ante ſortis non ſolutæ uſuras peti poſſe, quam ipſa ſors peti potuerat.*

Alĩ autem reſpondent totius ſortis uſuras ſecũndum ſtipulationis tenorem deberi. Quam ſuam ſententiam hoc argumento probant: Si ſtipulationi quæ totius ſortis uſuras complectitur nihil poteſt opponi, ex ſtipulatione totius ſortis uſuræ debentur. At ſtipulationi uſurarum totius ſortis nihil poteſt opponi. Totius igitur ſortis uſuræ debentur. Minor ſalvatur, quia pactum, quod adiectum eſt, non inſit ſtipulationi, ſed tantum ad exceptionem proſit, ne tota ſors peti poſſit. Hinc patet, apertam eſſe pugnantiam in hac L. lecta, & L. Iuris gentium §. quinimo, de pact. Nec ad rem pertinet, ſi dicas, in ſtricti Iuris iudicĩs pacta in continenti adiecta ineſſe ex parte rei, in bonæ fidei Iudicĩs etiam ex parte actoris. I. enim non dicuntur ineſſe, quæ

non

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

non formant contractũ, ũt manifeſtum eſt ex d. § quinimo, quæ autem formant contractum inſunt â parte actoris, non rei. Aut enim qui actioni inſit exceptio: 2. Pauli Iurisconſulti verba illam interpretationem nõ ferunt. Vult enim talia pacta ſtipulationi ineſſe â parte actoris, non tamen rei, quia manifeſtè illorum ſententiam improbat, qui illa tantum ad exceptionem, id eſt, reo prodeſſe dicebant. Neq; eſt ſi dicas, talia pacta ſtricti iuris iudicijs non eſſe, ſed excepta ſtipulatione. Primum enim, quia Paulus quoſdam negare affirmat, pacta in continenti facta ſtipulationi ineſſe. & Vlp. in d. § quinimo, generaliter loquatur, conſentaneum eſt illum æquè de ſtipulatione loqui quam reliquis ſtricti iuris iudicijs. Deinde quia ratio reddi nequit, cur ſtipulationi magis quam reliquis inſit. Sed neq; religio eſt ἀντινομίαν aſſerere. Non enim Iuſt: in conſt. ſua fftis præfixa omnino ineſſe inficiatur, ſed non facile repertum iri &c. Hæc cum ita ſe habeant, unoq; plus verum eſſe non poſsit, ut Cic: 1. de Nat: deorum inquit, unam ex hiſce duabus ſententiam falſam eſſe oportet, alteram veram. Quanquam vero Pauli ſententia hic tanquam de iure verior recenſetur: Quia tamen opinio veritati non præiudicat, & alibi Vlpiani ſententia non minus approbatur, eademq; eſt utriuſq; autoritas ex Conſt: Iuſt. fftis præfixa, illorum ſemota autoritate rationibus Iuris veritas æſtimanda erit. Quare ita veritate exigente Vlpiani ſententiam veram eſſe argumentis quibuſdam oſtendere conabor. Nam ſtricti Iuris iudiciorum ea eſt natura vt nihil aliud in ijs præſtetur, quam de quo convenit, vt tradunt Dd. in L. quicquid 99. de verb. obl. & Weſeb: ad tt. de pact. nu: 10. adeo ut etiam contractus ſtricti iuris dolo facti actio-

Stricti Iuris iudicijs inesse eiusmodi pacta negant.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

actionem pariant, L. Si quis cum aliter, de verb. obl. L. pen. C. de inut: stip. § 1. Inst. de except. Etsi doli obstet exceptio. Et vel hinc stricti Iuris esse dicuntur. At stipulatio stricti Iuris est contractus. Nihil igitur recipit, aut assumit, ideoq; nec pactum etsi in continenti adiectum illi inesse potest. Quin de stipulationibus in specie, expressus est textus Inst. de obl. ex cons. ubi inquit Imp: Item in his contractibus (intelligens eos qui consensu perficiuntur) alter alteri obligatur in id, quod alterum alteri ex bono & æquo præstare oportet, cum alioquin in verborum obligationibus, alius stipuletur, alius promittat: quibus verbis manifestè significare vult Imp. illud tantum venire in stipulationibus, de quo contrahentes expresse egerunt, quod si illud tantum in stipulationibus venit & attenditur, si æquitatis non habetur ratio, sed ipse contractus strictè observatur, ea omnino natura est stipulationum, ut nihil aliunde assumant aut admittant. Quod si nihil, quo tandem modo pactum? Et quid absurdius solenni, quod solenne non sit, inesse? At stipulatio solennis est, etsi verborum solennitas sublata sit. Pactum non item. Quid si nihil tam naturale est, quam eo genere quicquid dissolvere, quo colligatum est? L. nihil tam naturale. de Reg. Iu. non potest pactum stipulationi inesse, & ex ea actionem proficiscentem formare, quod, cum inest, facit. Nam aut aliquid adderet aut demeret, id est, dissolveret vel colligaret, at verborum colligatio verbis tollitur, quemadmodum etiam constituitur, nudi consensus obligatio, contrario consensu dissoluitur d. L. nihil tam naturale, de Reg. Iu. Neq; tamen stipulationis tantum hæc natura est, sed ut sup: d. e. omnium contractuũ stricti Iuris quod breviter nunc

etiam

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

etiam in mutuo ostendere placet. Mutuo dentur 10. quid si adñciatur pactum ut reddantur 20. respondet Iurisconsultus in L. si tibi decem, de pact. L. rogasti § Sed si tibi dedero, de reb. cred. ultra decem non deberi, quia mutuum re non verbis contrahatur, id est, quia mutuum stricti Iuris est contractus, strictè observandum est solummodo, reddendum esse, quod datum est. Hinc sequitur pactum mutuo non inesse etsi in continenti adiectum, alioquin enim actionem formaret, atq; non decem sed viginti deberentur. Quid igitur si conveniat ut tantum quinq; reddantur, cum tamen mutuo dentur decem? Etsi 10. peti possint, pacti tamen exceptio obstat. Atq; ne ita quidem inest, alioquin enim decem peti non possent, sed tantũ quinq;. Hinc etiam usuræ ex contractu mutui deberi non possunt, plus enim redderetur quam esset datum, quod est contra naturam contractus. Secundum quam tantundem non plus debetur. Adde quod æquitatis ratio nulla sit, cur ex mutuo usuræ deberentur, quæ tamen est in iudicijs bonæ fidei, in quibus ob moram debentur. Nam cum usuræ non debeantur ob lucrum petentium, sed quia creditoris quoquo modo interest, conveniens est, quia in mutuo hæc ratio cessat, usurarum quoq; rationem in illo non haberi. Nam aut carere potest creditor pecunia, ne quod inde damnum sentiat, aut non. Cum non potest, aut mutuo dedit, aut nondum dedit, sed daturus est. Quandoquidem autem nulli officium suum debet esse damnosum, & contra naturam est, vt quis cum alterius iactura locupletetur, secundum vero naturam, vt is qui commodum sentit, sentiat etiam incommodum, debitor verò, non etiam creditor ex pecunia mutua percipiat commodum,

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

æquum est illum huic suum damnum præstare. Quare illo casu statim si creditori ita videatur (nisi pactum obstet, & tunc sibi imputet creditor, quod malè sibi providerit) mutuo datæ pecuniæ repetitio est. Hoc autem casu, si ita placeat stipulationis nexu ad usurarum præstationem sibi debitorem potest obstringere. Ecce utroq; casu satis creditori est provisum, etsi mutuum usuras non recipiat. Quod si absq; rerum suarum dispendio pecunia carere potest, cur ex solo mutuationis officio, quod pecuniam ociosam mutuo dedit indigenti, cum hominis intersit hominem beneficio afficere, usuras peteret? Quod utiq; liceret si ex ipso contractu mutui deberentur. Quare rectè constitutum est, vt mutuum per se consideratum, omne sit gratuitum. Etsi vero leges humanæ usuras lucratorias quoque intercedente stipulatione permittant, non tamen ideo non damnant; quin etiam illas non creditorum, sed debitorum gratia permittunt, vt pecunia accepta (quam absq; usuris forte non acciperent) aut maius incommodum avertere, aut maius commodum consequi possint. Cum his consonat Leonis constitutio 83. quæ ita habet: Si à spiritus legibus ita se mortale genus regi sineret, vt humanis præceptis nihil indigeret, id vero decorum & salutare esset. At quoniam se ad spiritus sublimitatem elevare, divinæq; legis vocem amplecti non cuiusq; est: ac vero quos huc virtus ducat numero valde pauci sunt, bene se adhuc res haberet, si saltem secundum leges humanas viveretur. Quæ vocantur pecuniæ creditæ usuræ, ubiq; à spiritus decreto condemnantur. Id sciens Pater noster, æternæ memoriæ princeps, usurarum solutionem, sanctione sua prohibendam putavit. Atq; propter paupertatem

non in

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

non in melius re: illa, sed contra in peius vergit. Qui enim antea, vsurarum spe, ad mutuandam pecuniam prompti fuerant, post latam legem, quod nihil lucri ex mutuo percipere possint, in eos qui pecuniis indigent, difficiles atq; immites sunt. Quin etiam ad facile iurandum, quodq; id ferè consequitur ad iusiurandum abnegandum id occasionem præbuit. Breviter propter redundantem in humana vita perversitatem, non modo non profuit legis virtus, verum etiam abfuit. Quanquam igitur ex se legem cùlpare nequeamus: propterea tamen quod humana natura ad illius sublimitatem non perveniat, egregium illud præscriptum abrogamus, ac in contrarium statuimus, vt æris alieni usus ad usuras procedat: idq; quo modo veteribus legis latoribus placuit, ad trientes centesimæ nempe, quæ quotannis in singulos solidos, singulas fœneratoribus siliquas pariunt. Hæc Leo Imp. Nunc ad id, quod erat propositum decurrat oratio. Expositio iam breviter, stipulationem nec non mutuum, ceu stricti iuris contractus nihil aliunde admittere, ideoq; pactum illis ratione suæ naturæ (quo respectu bonæ fidei contractibus inest) non inesse, superest vt demonstretur pactum neq; ratione suæ naturæ illis inesse, atq; ideo omnino non inesse. Nam si, vt tradunt, ad L. iuris gentium §. quinimo, post gl: mag. Iason nu: 12 ff. de. pact: & idem Iason nu: 17. in h. L. lecta, & Wesenb: ad tt. de pact: nu. 10. pacta stricti sunt iuris, strictam quoq; recipiunt interpretationem, id est, pacta nihil, nisi quod diserte verbis expressum est, continent L. si repetendi C. de condict. ob caus. Consequens est quia usurarum in pacto nulla facta est mentio, pactum illud ad usuras non pertinere. Deinde cum ex pacto usuræ, quia

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

odioſæ ſunt, deberi non poſſunt (niſi in pecunia traiectitia, ut cuius periculum ſubit creditor, ideoq; odioſæ non ſunt) pactum uſuras continens, ut ſtipulationi aut mutuo in continenti adiectum, non ineſt contractui, ita enim fraus fieret legi, qua conſtitutum eſt, ne citra ſtipulationis vinculum uſuræ debeantur. Quod cum ita ſit multo minus pactum nullas uſuras expreſſe continens contractui ita adiectum ad uſurarum exactionem prodeſſe poteſt. Si igitur ex tali pacto nullæ debentur, neq; aliquæ, ut trecenorum denariorum: Ex ſupra dictis pacta in continenti facta ſtipulationi non ineſſe claret. Denicq; etſi pactum illud ineſſet ſtipulationi, non tamen ſequeretur id, quod vult Paulus, ſed tantum quod ipſo iure non poſſet peti ultra trecenos denarios, & necdum ad uſuras pertineret, cum in pacto nihil ſubintelligi oporteat d.L. Si repetendi, C. de condict. ob cauſ. cum ſtricti ſit iuris, ut d. eſt. & ut aliâs quippiam ſubintelligi poſſet, non tamen ubi de uſuris quæritur, ut ex ijs quæ ſup. d. ſunt conſtare poteſt. Atq; ita primum Iurisconſulti Pauli fundamentum corruit, ac verum manet totius ſortis uſuras deberi, & quidem ex ſtipulatione totam ſortem & totius ſortis uſuras peti poſſe, ſed oppoſita pacti ad ſortem tantum diuidendam pertinentis exceptione, portionem ſortis, totius autem ſortis uſuras ſoluendas eſſe. Quod autem ait totius ſortis uſuras peti non poſſe, quia tota ſors peti non poterat, pro ipſo non facit. Quin ideo quia tota ſors peti poterat ipſis calendis, ad quod tempus uſurarum ſtipulatio concepta eſt, exinde currere ceperunt totius ſortis uſuræ. Neq; obſtat, ut ex ſup. d. conſtat, quod pacto deinde ſit diuiſa ſors. Aliud enim eſt ſortem diviſam eſſe, aliud uſuras

eſſe

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

esse diuisas. At pactum nihil aliud complectitur, ut sup. d. ẽ, quam divisionem sortis, Ergo &c. Neq; obst. sorti usuras ex eo tempore accedere, quo mora facta est. Nam mora facta est, quia sors calendis, vt in stipulationem deductum erat, non est soluta. Neq; enim moram hic intelligere possumus, respiciendo ad tempus consequens, ut si treceni denarij singulis mensibus, quoad tota sors soluta esset, non solverentur. Fac enim terminum istum observari. Et ecce usurarum stipulatio exaruit, quod est absurdum. Neq; enim pacto stipulatio tolli potest, vt si eius effectus pacto possit impediri. Aut iam dicimus sublatam esse (quod tamen falsum est) eo casu, quo dixi, & neq; sic inest. Aut enim quomodo sublatæ stipulationi, id est non existenti, pactum inesset? Nullæ enim non entis sunt qualitates etc. Aut dicimus eo casu stipulationis vim impediri, & neq; sic inest stipulatio, quia ad exceptionem tantum prodest, & tum non potest inesse dici. Denicq; non obst. quod ait ipso iure usurarum obligationem non committi, etsi pactum ad exceptionem tantum prodesset, quia non sit in mora, cum pecunia propter exceptionem peti non possit. 1. enim mora, ut d. ẽ, ad tempus stipulationis de solvenda sorte referri debet, quod etiam ipse tex. legis in propositæ cautionis verbis: Si die supra scripta summa &c. satis probat. 2. Quia eo tempore, ad quod pertinet usurarum stipulatio, nulla erat exceptio, propter quam tota sors peti non posset, ut vel ita totius sortis usuræ peti possint. Hæc autem pro Vlpiano contra Paulum susceptа defensio non evanescit, vt quidam putant, per L. petens C. de pact. Pactum enim cum tria significet. 1. nudam conventio-

nem. 2. nudæ conventionis instrumentum. 3. ἀπὸ συμφωνίας παρὰ τὴν ὀφειλόμενον, ut docet Schard. in suo lex. iurid. videndum quam significationem habeat pactum in verbis d. L. Petens. C. de pact. *Siue pactum antecessit, seu post statim interpositũ sit etc.* Non autem significare nudam conventionem ex sequentibus patebit. 1. enim pactum (pro nuda conventione sumptum) inutiliter subsequitur stipulationem. 2. Si pactum hic pro nuda conventione usurparetur, verba legis sibi non constarent. Nam agitur de ea stipulatione, quæ pactum secuta est. Num quid igitur pactum (in eadem significatione sumptum) stipulatio potest esse secuta, seu pactum antecesit, seu post interpositum sit. Minimè. Nam si secuta est pactum stipulatio, antecesit pactum necessario, si post interpositum est, antecesit stipulatio. At, inquam, agitur hic de stipulatione, quæ pactum secuta est. Magis igitur est, quò mens legis conservetur, ut pactum pro nudæ conventionis instrumento usurpetur, illud enim potest antecesisse, vel post interpositum esse, licet stipulatio pactum secuta est. Quare male hinc colligunt nonnulli pacta in continenti adiecta stipulationi inesse. Manet igitur firma ac rata pro Vlp: suscepta defensio.

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°

LN 1570
M

Early European Books, Copyright © 2009 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Royal Library, Copenhagen.
LN 1572 4°